BREVE
S. D. N.
PAVLI
PAPAE V.

Quo Fratribus Congregationis Iesuatorum, qui sunt idonei, loco recitationis Dominicæ Orationis, & Salutationis Angelicæ, conceditur & confirmatur Officij Diuini recitatio.



ROMAE,

Ex Typographia Reu. Cam. Apost. 1608.

PAVLVS PP. V.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM. Ministerio sacri Apostolatus Officij, licet immeriti præsidentes ad ea, per quæ diuinus cultus, & deuotio augetur, libenter intendimus, & quæ propterea ordinata fuisse dicuntur. Apostolici muniminis firmitate, cum à Nobis petitur, roboramus. Aliàs siquidem statuimus, & ordinauimus, vt fratres Congregationis Iesuatorum ad sacros Ordines pro tempore promoti, ex peculiari cuiusq; obligatione horas canonicas in Choro, statuto ab Ecclesia tempore recitare deberent, in illis scilicet Conuentibus, in quibus quatuor saltem fratres reperirentur in sacris Ordinibus constituti; in alijs autem Conuentibus, vbi pauciores quatuor essent sacris ordinati, possent eas etiam, sed priuatim recitare, ipsi verò fratres ad sacros Ordines promoti nullatenus in posterum tenerentur ad recitationem Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ in illis temporibus, in quibus ad eam, priusquam easdem horas canonicas recitare debebant, ex præscripto suarum Constitutionum, loco earumdem horarum erant obligati, prout in nostris in simili forma Breuis desuper expeditis literis pleniùs continetur. Et sicut dilecti filij Isidorus à Venetia Visitator Generalis, ac Diffinitores, alijq; Vocales eiusdem Congregationis Nobis nuper exponi fecerunt, illi subinde animaduertentes ex recitatione horarum Canonicarum huiusmodi, cum spirituales fructus ipsi Congregationi prouenire, tùm Christifideles recitationi earumdem horarum interessentes ad deuotionem excitari, prouida deliberatione desuper habita, in eorum Capitulo generali nouissimè celebrato, reseruato nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito, ordinarunt, & statuerunt, quòd ex tunc de cætero quicunq; ex fratribus dictę Congregationis recitationi dictarum horarum idonei essent, illi ad recitationem earumdem horarum tenerentur, & per horarum recitationem huiusmodi recitationi Orationis Dominicæ, ex regularibus eorum institutis præscriptæ satisfacere censerentur. Cùm autem, sicut eadem expositio subiungebat. Isidorus, & Diffinitores, ac alij Vocales prædicti plurimum cupiant ordinationem, & statutum huiusmodi pro eius subsistentia per Nos Apostolica auctoritate confirmari, & approbari. Ideò Nobis humiliter supplicari fecerunt, vt in præmissis prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Isidorum, ac Diffinitores, & alios Vocales prædictos, necnon singulos dictæ Congregationis fratres specialis gratiæ fauore prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs,

tentijs, censuris, & pœnis a iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentiũ duntaxat consequendum, harũ serie absoluentes, & absolutos fore censentes: huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Card. negotijs, & consultationibus Episcoporũ, & Regularium præpositorũ consilio ordinationem, & statuta prædicta, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisq; perpetuę, & inuiolabilis Apostolicę firmitatis robur adijcimus, ac ab omnibus dictæ Congreg. fratribus inuiolabiliter obseruari mandamus. Et nihilominus, quod de cętero perpetuis futuris temporibus, quicunq; ex dictæ Congregationis fratribus recitationi horarum Canonicarum habiles, & idonei erunt, illi ad earumdem horarum recitationem perpetuò teneantur, & obligati existant; ac per recitationem horarum Canonicarum, recitationi Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ, ad quam, iuxta regularia eorum instituta tenentur, satisfaciant, & satisfacere censeantur, similiter perpetuò statuimus, & ordinamus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dictę Congreg. etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis, eidem Congregationi, illiusq; Visitatori generali, ac fratribus, & alijs superioribus, & personis, sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cũ quibusuis etiã derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus clausulis, & decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium pręmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis: Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores pręsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cęterisq; contrarijs quibuscunq;. Volumus autem, vt pręsentium exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personę in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quę ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensę. Datum Romę apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die xxiij. Septembris MDCVIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Scipio Cobellutius.